

Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.**Wersja sandomierska**

Rękopis Archiwum Państwowego w Przemyślu, Akta Miasta Przemyśla, sygn. 428, s. 37–38

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuł 52–53 [Gn. 51]

[52] De omni querimonia et testimonio. Capitulum LIII

Omnis querimonia et testimonia, que cum criminosis violenciis cum clamore ad iudicium in facto manifesto deprehense et deducte fuerint, virum metseptimus^a protestare debet circa ius pacis, exceptis vulneribus, que monomachales non fuerint. Manifestum factum ibi esse dicitur, ubi vir captivatur cum furto aut cum spolio, deprehensus ducitur ad iudicium cum clamore. Insuper eciam manifestum factum dicitur, ubi viro cutellus aut gladius, aut alia arma in sua manu deprehensa fuerint, cum quibus pacem infregit, aut si in fuga facti deprehensus fuerit, et captivus ad iudicium cum clamore deductus fuerit. Hunc actor metseptimus^a vincere debet circa ius pacis. Et si factum manifestum cum viro ad iudicium deductum fuerit, stuprum et obsidium et irruencia domicilii, homicidium, furtum, spolium, probat homo protestando metseptimus etc.

^a metVII

[hasła: skarga, przemoc, przestępstwo, sąd, gorący uczynek, samosiódm, przysięga, współprzysiężnik, pokój, rana godna pojedynku, kradzież, obwołanie, miecz, nóż, sztylet, ucieczka, pokój, zasadzka, gwałt]

[53] De eodem ca[pitulum]

Si vir de damnosis violenciis conquiratur, extunc sua querimonia sic debet procedere: „Domine iudex, ego conqueror Deo et vobis, quod iste homo venit intra municipalia, et in me pacem violavit, et me stupravit corpore et rebus et honore muliebri, de quo sufficiens habeo testimonium per eos, qui meum clamorem audierunt, et ostendere volo factum, ut de iure teneor *[s]* aut habeo, et requiro in sententia diffinitiva, quomodo ipsum vincere debeam, ut michi proficiat in iure meo”. Extunc ille petat satisfacionem, si vult, quam sibi facere oportet, et dicat de facto esse innocentem. Tunc tutor mulieris interrogat in sententia diffinitiva, si mulier violenciam melius *[s. 38]* protestare poterit cum hiis, qui clamorem suum audierunt, quam ille possit evadere cum ad iudicium sit deductus. Tunc diffinitur iure, quod possit ipsum possibilis vincere cum hiis, qui suum clamorem audierunt, quam evadere possit. Et si hoc protestabitur, ut iuris est, adversarius collum demeretur. Idem vero iudicium super irruenciam domicilii iudicatur.

[hasła: skarga, przemoc, przestępstwo, sąd, obwołanie, honor, gwar, zabezpieczenie, niewinność,
uwolnienie od skargi, kara śmierci]